

voluntati qui se illic sepelliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint aut etiam publice usurarii, nullus obsistat, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decimas praeterea et possessiones ad ius ecclesiarum vestrarum spectantes, quae a laicis detinentur, redimendi et legitime liberandi de manibus eorum et ad ecclesias ad quas pertinent revocandi libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbatissa vel earum qualibet tibi succedentium nulla ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quam sorores communi consensu vel sororum maior pars consilii sanioris secundum deum et beati Benedicti regulam providerint eligendam. Paci quoque et tranquillitati — wie No. 397 — Amen.

Orbiculus
pontificalis.

Ego Innocentius catholicae ecclesiae episcopus subscripsi. Monogramma.

Ego Petrus tituli sancti Marcelli presbyter cardinalis.

Ego Wilhelmus basilicae duodecim apostolorum presbyter cardinalis.

Ego frater Johannes tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis.

Ego frater Hugo tituli sanctae Sabinae presbyter cardinalis.

Ego Petrus Albanensis episcopus.

Ego Wilhelmus Sabinensis episcopus.

Ego Petrus sancti Georgii ad velum aureum diaconus cardinalis.

Ego Johannes sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis.

Ego Wilhelmus sancti Eustachii diaconus cardinalis.

Datum Lugduni per manum magistri Marini sacrosanctae Romanae ecclesiae vicecancellarii III. Idus Martii indictione VII. incarnationis dominicae anno M^o.CC^o.XLVIII^o. pontificatus vero domini Innocentii papae III^{ti} anno sexto.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 407. 1249. 27. März.

P. Innocenz IV. ertheilt dem Kreuzkloster auf drei Jahre die Vergünstigung, dass kein päbstl. Delegat gegen dasselbe mit ernstlichen kirchlichen Strafen ohne specielle Erwähnung dieses Zugeständnisses verfahren dürfe.

Innocentius episcopus servus servorum dei dilectis in Cristo filiabus .. abbatissae et conventui monasterii de Valle sanctae Crucis ordinis sancti Benedicti Misnensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii magistri Walteri canonici Misnensis precibus inclinati auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut nullus delegatus sedis apostolicae vel delegati subdelegatus eiusdem conservator seu etiam executor a sede deputatus eadem in personas vestras interdicti vel suspensionis aut excommunicationis sententias valeat promulgare sine ipsius sedis speciali mandato expressam faciente de indulgentia huiusmodi mentionem, praesentibus post triennium minime valituris. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Datum Lugduni VI. Kal. Aprilis pontificatus nostri anno sexto.

Dentur ei conservatores. Rec. Johannes.

Nach dem Orig. wie No. 406.